

ILLVSTRISSIMO PRIN-
CIPAC DOMINO, DOMINO GEORGIO FRIDE-
RICO, MARCHIONI BRANDEBURGENSI, STETINI,
Pomeraniæ Cassubiorum, & Vandalorum Duci, Burggraui
Noribergensi, Principi Rugie, &c. Principiac Domino
suo clementissimo, S. P. D.



VT in reliquis artibus, quæ liberales dicuntur, & reuera *πῦν καλῶν*
sunt, innumerabilia lucent testimonia præsentia diuinæ: ita præ-
cipuè nobilissima inter illas Musica conuincit sanas mentes, hanc
totam mundi machinam non casu extitisse, sed & esse Deum con-
ditorem, & conseruatorem sui operis, & omnes res utiles, generi
humano ab eo originem habere, & creatorem ostendere. Etsi enim in Musica
causæ non satis indagari possunt, cur certarum proportionum quasi concursus
efficiant dulcem harmoniam, & cur talem concentum animi hominum auidè ar-
ripiant, suauiterq; adficiantur: Tamen certò inde constat, cum mens humana
quiddam harmonicum sit, & amans proportionum, & ordinis, in Deo fore per-
fectissimam harmoniam, & omnium proportionum quandam absolutam perfe-
ctionem, quarum tanquam igniculi quidam in mentes hominum deriuati, testi-
monium de Deo dicunt.

Utilitas etiam huius artis tanta est, ut & Deum autorem arguat, & omnes
honestas mentes non immerito ad sui cognitionem inuitare debeat.

a a 2

Cum